



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs**

In quo hæreses & mores Pelagij contra naturæ humanæ sanitatem,  
ægritudinem & medicinam ex S. Augustino recensentur ac refutantur

**Jansenius, Cornelius**

**Lovanii, 1640**

Synopsis Vitae Avctoris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13650**

# SYNOPSIS VITÆ AUCTORIS.

**C**ORNELIUS IANSENIUS natus est anno MDLXXXV. Leerdami, modico Bataviae oppidulo, sed tanti viri natalibus jam magno. Parentes, & tota familia circum, Catholici inter ferventissimos, & a vite fidei retinentissimi. Ultrajecti puerilibus & humanitatis litteris eruditus, Philosophia Lovanii in Pedagogyo Falconis, & anno MDCIV. in Licentia Artium, quatuor Pedagogiorum primus renunciatus. Theologiae mox operam daturus, in Collegium Adriani VI. Pont. Max. à Moderatore ejus Iacobo Ianfonio, viro pietate & doctrinâ illustri, adscitus est. Post acre & assiduum aliquot annorum studium, in tabis & vite periculum incidit; unde Medicorum consilio, solum & aëremvertere, & in Galliam peregrinari consiit. Lutetia, per litteras Gracas, quas Lovanii sine Praeceptore, magno & arduo labore didicerat, viris genere & doctrinâ nobilibus insinuatus, familiae etiam uni insertus, ingenuorum adolescentum studia rexit. In Cantabrigiam deinde migravit, ubi eruditissimorum virorum consuetudine, & familiari studiorum communione, in SS. Patrum, & praesertim sancti Augustini intelligentiâ magnos progressus fecisse, saepe testatus est. Lovanium postea revocatus, & novo S. Pulcheriae Collegio Praefectus, fundos & redditus, suppeditatâ à Dominis Provisoribus pecuniâ emit, aedificia construxit, totumque Collegium antea informe, ad eam quam hodie cernimus, formam composuit; ut merito fundator, licet alienis opibus, haberi possit. Cum verò postea curâ familiari & regimine juventutis, multum temporis studiis suis deperire animadvertisset, statuit relicto Collegio, privatim sibi & sacris Musis unice vivere. In ista solitudine, aut admissio unius tantum familiaris Doctoris cœtu, plusculos annos egit: inter quos à Lectione Sacrae Theologiae Ordinariâ, ad Regiam Sacrae Scripturae, à Catholica sua Majestate est assumptus. Quo fructu & eruditionis famâ, Academia, discipuli, Commentary typis editi loquuntur. Praeter enim ingentem, è SS. Patribus collectam, rerum sacrarum suppellectilem, lingua quoque Graeca & Hebraica insignem addiderat peritiam. Vnde cum Silvaeducenses Ministri Calvinistae Catholicos provocassent ad disputationis certamen, delectus ipse in primis est, qui & scientiâ rerum & intelligentiâ linguarum armatus, tuto conferret pedem.

Vir autem studiorum & Scholarum umbris sic immersus, incredibile est, quomodo in publica negotiorum luce non caligaret, sed ad actionem contemplationemque, ex aequo factus esse videretur. Hoc Academia Lovaniensis experta domi, forisque, cum his Legatus in Hispaniam missus, difficultates Academicas ex adversariorum manibus felicissimè extricavit.

In rebus enim semel prudenter destinatis, magnanimus, acer, & instans, per omnia impedimenta & obstantia ad exitum facile penetrabat. Sed magnanimitas ejus praecipue in iuv Episcopatus enituit, cum novi Palatii Episcopalis magnificam molem statim auspiciatus, & multa per Diocesim Iprensensem reformare aggressus, aut meditabatur, haud dubie perfecisset, nisi morte contagiosa intra alterum Episcopatus annum oppressus esset, 1638. prid. Non. May.

Quantum verò ad totum ejus ingenium, mores, & eruditionem, haec paucis Lector accipe.

Ingenti & rarissimo Dei beneficio, ingenium acerrimum, iudicium gravissimum, memoria in eo fuit capacissima. Subtilis enim cholerae nonnihil habuit, quam flammulae salpetra lapide comparare solebat, quae momento incenditur, & sine ideo & fumo,



## SYNOPSIS VITÆ AVCTORIS.

momento in nihilum dispergitur. Ab hoc igniculo modicus calor, & splendidus quidam fulgor totam acuebat & illuminabat animam. Ad istas naturæ dotes acceperat studium noctu diuq; infatigabile, & veritatis immensus amor. Rogatus aliquando à sodali, quodnam Dei attributum maxime ei esset cordi & veneraretur, Veritatem respondit. Et sæpe inter horri sui spatia & solitarias meditationes, visus auditusque oculis in cælium sublatis erumpere in hanc vocem, O veritas!

Ab initio studij Theologici, cum Scholasticis legere cepit SS. Patres, sed præcipue Augustinum; statimque advertit, ut fatebatur, plurimos Scholasticos in materia illa capitali de Gratia & libero arbitrio, longe abire à Sanctissimi Doctoris mente. Credit cum ætate amor id certius noscendum; nec ab eo tempore ad finem vitæ omisit hanc curam & assiduam Augustini lectionem. Familiaribus quandoque fassus est, se decies & amplius universa Opera Augustini, attentione acri, adnotatione diligenti, libros verò contra Pelagianos facile trigentes à capite ad calcem evoluisse. Patres ceteros utiles esse, sed Augustinum necessarium, imò unum pro omni materia Theologica sufficere dicebat. Veritatem enim ejus & fecundam illam pectus cum stupore admirabatur, & inde ei, statim stiam à conversione, ante studium Theologicum, abundantia illa rerum divinarum, quæ in primis ejus libros manaverunt. Quæ enim postea in libris Retractationum delevit, parvi momenti, & vocum ferè magis quam rerum maculas esse censebat. Nullum aut Aristotelis, aut Archimedis, aut cujuscunque sub cælo ingenium, dicebat æquale Augustino; & tale à Deo factum, ut Ecclesia haberet, quem subtilissimæ omnium Pelagianæ heresi opponeret, cui illum ceterorum SS. Patrum negabat fuisse parem. Dicentem non semel audivimus: vitam sibi jucundissimam fore, si in Insula aliqua aut caute Oceani, extra omne humanum consortium, cum solo suo Augustino deponeretur. Brevis, post Deum & sacram Scripturam, omnia ei erat Augustinus; adeo, ut etiam legeretur, se ad eum Episcopatum electum esse, in quem auctoritate Pontificia conversionem fuisset Monasterii Regularium S. Augustini. In Opere isto, quod AUGUSTINUM vocat, componendo, ubique ad preces & opem S. Augustini identidem recurrerebat, & sæpe familiaribus testabatur, se evidens ejus adiutorium in magnis difficultatibus sentire.

Multis tamen annis cum veteribus suis opinionibus luctatus est, antequam in totum exueret, & perveniret ad intimam S. Augustini mentem. Dicebat enim Augustinum à discipulis, non à Magistris velle intelligi, & falli, quisquis aliâ opinione occupatus accederet ad ejus lectionem. Addebat deinde, omnia pendere ab uno primo principio, unde tota doctrina ejus de Gratia, catena de vincula esset; & hinc factum, ut qui eo aberrant, extra viam & spem inveniende veritatis vagentur. Unde subridebat potius, non mirabatur, quod contrariarum & diversissimarum opinionum Scholastici, omnes tamen Augustinum ad se traherent; quia unus hunc, alter istum anulum medium catenæ arriperent, nemo teneret primum illum & capitalem.

Rem tamen istam ingentis momenti & fructus in Ecclesia esse censebat, nec vitam perfectè spirituale formari posse, nisi ad illam doctrinam S. Augustini normam. Christianam tamen præcipue humilitatè in ea fundari, nec in ea qua debet, id est altissima sui demissione haberi posse, nisi extrema illa divina gratiæ necessitas, & profundissima creaturæ à Creatore suo, quam prædicat Augustinus, dependentiâ ei subiciatur. Unde animas spirituales & profunde humiles sæpe consulebat, quid de tanta divini adiutorij, etiam in minimis bonis actibus, necessitate, & liberi arbitrij infirmitatè existimarent: quos plerosque omnes admirabatur & gaudebat, doctrinam S. Augustini consentanea respondere. Hæc doctrina est, inquit, quæ Augustinum supra omnes Doctores, & ferè mortales, in illo culmine scientiæ, humilem fecit: imò putabat neminem sine ea verè & ex corde humilem fieri posse.



## SYNOPSIS VITÆ AUCTORIS.

posse. Hinc viri multi spirituales & eruditi seculares, Regularesque currenti sepiissime cat-  
car addiderunt, ut opus inchoatum deproperaret, ne, quod Veneri Apellis accidit, morte in-  
terceptus, non inveniret qui ad præscripta lineamenta auderet succedere. Ipse quoque huic  
operi unice natus, & ubi absolvisset, paratissimum se mori dictitabat. Quod et profecto  
evenit. Nam pestilenti & lethali morbo correptus, moribundâ manu novissimas lineas  
duxit, & in fine ac ipso puncto perfecti operis (res admiranda, & providentia Dei argu-  
mentum singulare) finivit & vitam. Nec alia testamenti ejus cura sollicitior, quam ut  
fideles amicos rogaret, ne factus instinctu, ut credebatur, divino tot Vigilijs & laboribus se  
efformatus supprimeretur, & non veniret ad partum.

Antequam exstingueretur, inter lacrymas & singultus (audita à Cappellano qui ejus  
exceptit confessionem, narro) totius vitæ delicta Sacramentali penitentia expiavit. Mors  
vitæ simillima. Hanc enim piè semper & religiosissime traduxerat. Nec superstitiosus  
tamen, aut scrupulosus erat, sed masculâ pietate, & ferventi præsertim charitate in Deum  
& propinquos a. d. bat. In pauperes largus, restrictus in se. In mensa cum lepore siccus ta-  
men semper: & cum interdum ad prandia, quæ detrectare non poterat, invitaretur, cre-  
bat, se ire ad pœnitentiam. In epulis enim luctum animi ejus facile advertisses, ne  
pars superior, pruritu voluptatis delaberetur in concupiscentiam. Omnibus vero tentationi-  
bus meditatione matutinâ se preparabat, quam quotælie hora quarta, aut maturius, stu-  
dijs præmittebat, repetebatque vesperi ante quietem; & totus re verâ dies nihil ferè aliud  
erat, quam jugis Dei, meditatio, aut divinorum.

## PRÆFATIO IN PELAGIVM.



**D**E Pelagiana & Semi-Pelagiana hæresi scripturus, nihil  
ordinatius à me fieri posse arbitratus sum, quam si ante  
omnia distinctè totam naturam istius hæresis Lecto-  
rum intelligentiæ exponerem. Frustrâ enim in refellen-  
dis erroribus laboraveris nisi omnes anfractus ejus pe-  
netrando, fallaciam ejus omni ex parte perspectam habeas. Quod  
non nisi partim ex ipsa historica rerum gestarum fide, partim ex do-  
gmatum universorum serie & genuino sensu, prout cum & Hæretici  
ipsi tradiderunt, & oppugnatores eorum Catholici Doctores expresse-  
runt, obtineri posse censui. Itaque historiam Pelagianam, velut to-  
tius operis basim sternam: cui mox omnium dogmatum Catholico-  
rum & veram eorum intelligentiam, quanta potuero veritatis cura  
subtexam. Neque enim exigua aut vilis de nonnullis eorum contro-  
versia est, dum alij aliud eos asseruisse, aliòve quæ docuerunt sensu  
intellexisse contendunt. Quo effectum est, ut quædam Pelagianis  
non ignobiles hujus ævi Scriptores imposuerint: quæ nunquam vel  
per somnium cogitaverunt, quædam itidem ab eorum sententijs re-  
move-